



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

II. Artaldo sedes Rhemensis restituta: Hugoni, qui eam usurpabat,  
anathema dictum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

debitæ reuerentiæ dono Romano pontifici exhibendo commoniti sunt, ut vniuersalis ecclesiæ puppis exoptatæ tranquillitatis portui secura succedat, seque procelloso tribulationum turbine vexari diutius non timeat. Significatum est autem in eiusdem recitaminis sententia, prædictum præfule Marinum ab ipso vniuersali papa tali tenore ad nostros fines directum fuisse, quo in omni ecclasticarum legum discussione ipsius existens vicarius, quæcumque liganda essent apostolica auctoritate ligaret, & quæ soluenda viderentur parili solueret potestate. Huiusmodi procul dubio affaminis tam salubri missatico gloriosissimi reges præfati, cum pontificibus, omnique clero, congratulantes, ut dignum fuit, se in omnibus consentire & obedire professi sunt. A quibus, auctorante & confirmante legato apostolico, capitula subsequentia statuta sunt. Dehinc ex sessionis suæ loco se subrigens inclytus rex Ludouicus, ad præsentiam serenissimi regis Ottonis, totiusque sanctissimi Concilii vnanimitatem, satis lacrymosi conquestus protulit querimoniam: videlicet quod regia priuaretur potestate a quodam principe Hugone nominato, quondamque sibi subiecto. Cuius anxietati & multimodæ reclamationi condolentes in unitate spiritus coadunati sanctissimi patres, eiusmodi super hac re sententiam protulere:

### C A N O N E S.

#### I.

Concilium  
Tolet. IV.  
Can. 75.

**N**VLLVS deinceps regiam potestatem præsummat populari, seu aliquam perfidiæ maculam sibi fallaciter exhibere. Decreuimus enim, Toletani Concilii iudicium exequendo, Hugonem regis Ludouici regni inuasorem & raptorem excommunicationis gladio feriendum, nisi forte tempore statuto ad synodale Concilium veniat, & a tam nefaria proteruitate satisfaciendo resipiscat.

#### II.

Artaldus Rhemensis ecclesiæ archiepiscopus

ANNO CHRISTI 948 propria de sede expulsus, ex canonica auctoritate in pristinum honorem inthronizatus, Hugo autem, qui eius sedem contra fas sibi usurpat, anathematis est mucrone mulctatus: eiusque ordinatores, & qui ab eo sunt ordinati, nisi vi. Idus Septembris Treuiris veniant, & ibi pro erratibus dignam satisfaciendo pœnitentiam subeant, similem excommunicationis sententiam sustineant.

III.

De antedicto Hugone comite, qui Rudolfum Lugdunensis ecclesiæ episcopum propria de sede, non causa alicuius criminis, sed pro fidelitate Ludouici regis proprii senioris expulit, decreuimus eum in sancta Synodo pro hac re, sicut de præscripta, excommunicandum, nisi veniendo satisfecerit.

IV.

Vt laici sine episcopali licentia presbyteris ecclesias dare, vel eos dimittere non præsumant.

V.

Vt nullus laicorum presbyterum flagitare, seu fatigare, vel aliquam sibi iniuriam inferre audeat.

VI.

Vt paschalis hebdomada festiue tota celebretur, & in pentecosten secunda, tertia, quarta feria, non minus quam dies dominicus, solenniter honorentur.

VII.

In litania maiore iejunium, sicut in rogationibus ante ascensionem Domini, exerceatur.

Concil. Tom. 25.

K ij